

angelum Dei similitudinem affectasse ait, vel quod naturalem beatitudinem, vel etiam supernaturalem, propria virtute sua se habiturum considerit: quam tamen nemo, nisi supernatura- li Dei dono, consequi potest. Ut enim D. Anselmus ait: *id appetit, quod habuisset, si stetisset.* Hæc autem duo in idem recidere D. Thomas ait: quia utroque modo voluit ultimam beatitudinem propria virtute consequi. Ubi autem hoc insando scelere depravatus fuit, in alia deinde superbiæ præcipitia lapsus est, super res alias principatum, qui soli Deo convenit, superbe appetens.

Adversus hanc igitur tantam superbiam S. Michaël, cum reliquis spiritibus pro Dei gloria dimicans, ait: (a) *quis similis tulit in fortibus, Domine, quis similis tui?* Nefas enim horrendum ac detestandum est, creaturam ullam, quod tremenda majestatis proprium est, velle sibi arrogare. Hac aurem de causa, ex victoria adversum dra-

conem parta, Michaëlis nomen accepit. *Michael* enim significat: *quis Deo similis?* Ut enim Scipioni Africano, si terrena hæc atque pusilla cælestibus comparare licet, a domita & superata Africa nomen inditum fuit: ita Michaël, ob insignem hanc vocem, qua Dei gloriam extulit, & superbientem draconem corripuit, hoc nomen accepit, quod ejus singularem fidem, humilitatem atque obedientiam præ se fert. Hunc igitur archangelum, quem Dominus militiæ suæ principem, & gloriæ suæ vindicem esse voluit, nobis in patronum sumamus, ab eoque suppliciter petamus, ut quod ipse odium adversus hoc superbiam monstrum habuit, mentibus nostris instillet, & humilitatis virtutem, qua & ipse, & lectatores virtutis ejus boni angeli in gratia confirmati & stabiliti sunt, nobis a Domino virtutum impetrare dignetur: ut per humilitatis viam incendres, ad eorumdem felicitatem & gloriam mereamur pervenire.

(a) *Exod. 15. 11.*

## IN FESTO BEATI HIERONYMI CONCIO UNICA,

IN QUA DE VERA SAPIENTIA, QUÆ in hoc patre sanctissimo mirabiliter eluxit, & in qua etiam hominis felicitas sita est; deque dupli felicitate, altera perfecta, altera inchoata, differitur.

**THE.** *Præposui sapientiam regnis & sedibus: & divitias nibil esse duxi in comparatione illius.* Sap. VII. 8.

\*\*\* \* Uum omnia, quæ a Deo in hac rerum universitate conditoris sapientiam atque potentiam testentur atque declarant; tum hoc in primis efficit infinita prope conditarum rerum multitudo atque varietas, quæ non in ipsis modo rerum speciebus atque generibus, sed intra ea etiam, quæ sub ipsis generibus continentur, elucet. Quanta enim in avibus cæli varietas? quanta in quadrupedibus? quanta, quamque mirabilis in tot piscibus maris? ac postremo quanta in tot virgultorum atque ar-

borum figuris, fructibus, & frondibus? Quid vero homines, qui sub eadem specie continentur, referam? Ut enim varios eorumdem mores & ingenia præteream, quis duos vultus omnino similes, etiam inter fratres geminos, deprehendat? ut non immerito D. Ambrosius tantam inter se & fratrem quemdam suum oris similitudinem miretur, quæ non raro faciebat, ut etiam qui cum illis versabantur, Ambrosium pro Ambrosii fratre convenienter: quorum is errorem intelligens, comiter & blande respondens: *videte, dicebat, ne fratri dixeritis.*

Quorsum hæc , fratres ? Nimirum ut intelligamus , quod quum idem sit naturæ & gratiæ auctor , sicut in tam variis naturæ operibus immensas sapien- tiæ atque potentiaæ suæ opes declaravit , quo se hominibus & angelis mirabilem ostenderet ; idem etiam in operibus gratiæ , hoc est , in piorum hominum sanctificatione effecit . Mitto nunc communem illam patriarcharum , prophetarum , apostolorum , martyrum , confessorum atque virginum varietatem , quibus regina illa (a) *assistit a dextris sponsi in vestitu deaurato , circumdata varietate : in his ipsis sanctorum ordinibus quanta , quæso , gratiarum atque virtutum varietas ?* Moses , prophetarum eximus , cunctorum hominum , qui morabantur in terra , mitissimus fuisse prædicatur : at Elias , zelo divinæ gloriæ fervens , quinquagenarios principes , eorumque milites , qui ad se capiendum venerant , cælesti igne concremavit ; & quadringentos prophetas Baal super uno lapide jugulavit ; quodque mirabilis est , trium annorum & sex mensium sterilitatem , acerbissimamque famem , precibus suis , in supplicium perfidi po-

puli , a Domino impetravit .

Jam vero si ad novi testamenti sanctos veniamus , quanta in virtutibus eorum varietas ? quanta etiam pulchritudo ? Miramur in episcopo Cypriano sollicitam ovium suarum curam , & fidei ardorem . Miramur in D. Chrysostomo animi altitudinem , humana- rumque rerum atque principum sæculi contemplationem ; utpote qui dicere ausus fuerit : iterum fuit Herodias , irenum postulat caput Joannis sibi in disco dari . In D. Basilio , ut ipsum quoque ejus nomen sonat , effulsit etiam regale quiddam in moribus . In magno illo Antonio , ejusque discipulo Hilarione , admiranda illa carnis maceratio , & solitudinis amor . Septies namque S. Hilarion domicilium , ad fugiendum adventantium frequentiam , commutavit . In D. autem Augustino elucet præcipue fidei zelus , & adversus fidei hostes disputandi libido infatigabilis . At in D. Bernardo incredibilis veræ religionis amor : ideoque tantus ardor in locis desertissimis ædificandi monasteria . Venio nunc ad beatissimum patrem Hieronymum , cuius hodie gloria natalicia

(a) Psalm. 44. 10.

celebramus . Quid in eo non mirabile ? quid non amplum atque magnificentum ? Alius in eo mirabitur hebdomadarum inediā , alius vigiliarum diuturnitatē , alius orationum instantiam : ego vero in illo sanctarum scripturarum amorem , & continuum divinæ sapientiæ studium , cui se totum addixera- rat , vehementer admiror . Hoc enim faciebat , ut minima no- etis portio daretur somno , mi- nor cibo , nulla otio . Hoc au- tem studio vir sanctus magnam ecclesiæ divinarumque litte- raturum studiosis lucem præ- tulit .

Quum igitur tanta sit in sanctis hominibus virtutum va- rietas ; nihil mirum , si ecclæsia in sanctorum confessorum festis vocem illam usurpet : (a) *non est inventus similis illi , qui conservaret legem excelsi .* Fere enim in singulis eorum singula- re aliquid effulsit , cuius gra- tia hoc eloquium in illum ca- dere posset . Quocirca quum hac præcipue de causa ecclæsia san- torum festa celebret , ut nos ad eas virtutes , in quibus illi præcipue erituerunt , imitan- das inducat ; non abs re vide- bitur , ut quum sapientiæ do- num in beatissimo P. Hierony- etis

(a) Eccl. 44. 20.

mo præcipue eluxerit , nos de eo in præsenti concione agamus . Hujus enim rei gratia sacra le- ctio , quæ sapientiæ hujus lau- des continet , pro epistola no- bis hodie in Missarum solle- mniis proposita est . Ut hoc au- tem argumentum utiliter & re- ligiose tractare possimus , cæ- lestem opem , sacratissimæ Vir- ginis interventu , suppliciter imploremus .

### AVE MARIA .

Sunt quidem , fratres dile- etissimi , variæ ac multiplices scientiæ , quæ humano ingenio atque studio inventæ sunt ; quarum aliæ in naturæ explicatio- ne , aliæ in rebus supra natu- ram positis , aliæ in siderum at- que signorum cognitione , aliæ in morborum curatione , aliæ in differendi facultate , aliæ in moribus componendis , & vita recte instituenda versan- tur . Inter has autem scientias , illa , quæ recte vivere docet , maxime necessaria est . Si quis enim omnes has disciplinas plenissime calleat , quod illi omniscio Hippiæ ferunt conti- gisse , nesciat autem quo pacto vitam instituere debeat , quid illi hæc rerum omnium cogniti- o ad salutem conferet ? Con- tra vero si quis vitam suam re-

Etis institutis moderari sciatur, nihil ei ceterarum disciplinarum ignoratio obseruit. Quia ex re liquet, hanc scientiam esse hominibus maxime necessariam, utpote sine qua aditus illis ad supremam felicitatem & beatitudinem minime patet. Ad hujus autem disciplinae cognitionem nos Dominus prophetica voce invitat, quum ait: (a) *disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitae & victus, ubi sit lumen oculorum & pax.* Pacis autem nomine tranquillitatem animi, omniumque cupiditatum & perturbationum sedationem intelligit: quibus sedatis atque compositis, tranquillitas animi, quies mentis, & inchoata beatitudo consequitur; quam cetera bona, quae ibidem propheta recentur, comitantur. Resta autem vitæ institutio ad hanc beatitudinem viam munit.

Hujus autem beatitudinis flagrantissimum desiderium naturæ conditor humanis mentibus ingeneravit. Omnes enim natura instigante ad eum statum pervenire cupimus, in quo ad hanc animi quietem & pacem perveniamus: in qua

nihil aliud desideremus, quam quod habuerimus. Ut enim famelicus homo, qui famem edendo sedavit, non jam esurit; ita qui ad hunc statum pervererit, plenissime requiescat, neque aliud amplius esuriet, quam quod haber. Hic est igitur perfectissimus status, atque ultimus humanæ vitæ finis, quem omnes homines, ut philosophi loquuntur, infinito amore diligunt: quia videlicet non propter quidquam aliud, sed propter se ipsum, eum diligunt. Quemadmodum enim medici pharmaca ægrotis ea mensura propinant, quam sanitatis necessitas exigit; sanitatem autem sine ulla mensura dare volunt, dant enim quantam maximam possunt: sic ea, quæ nos ad hunc finem adjuvant, catenus amplectimur, quatenus fini consequendo conducunt; finem autem ipsum, hoc est, ipsam felicitatem & beatitudinem, sine ulla mensura cupimus: quia ipsam propter se ipsam desideramus, neque ad aliud quidquam ordinamus. Hoc enim ultimi finis ratio postulat, ut omnia quidem ad ipsum, ipse vero ad nihil aliud referatur. In eo namque mens hominis ple-

(a) Baruch 3. 14.

plenissime requiescit: aliter enim ultimum non esset. Hic igitur tantus finis, atque beatitudinis amor ac desiderium efficit, ut nihil aliud homines in vita moliantur, nihil querant, nisi quod eos ad communem hunc humanæ felicitatis portum ducat. Qua tamen in re dictu mirum est, quantopere a recto itinere devient.

\* Ut enim homines, natura instigante, ad summi Dei omniumque rectoris & gubernatoris cultum & veneracionem incitantur; quis autem esset verus Deus ignorantes, alii Solem, alii Lunam, ceteraque signa cælestia Deos esse putantes, divinos illis honores exhibuerunt: ita quum eadem natura homines ad hujus felicitatis desiderium incendat; qua autem in re ea felicitas sit ignorantes, alius in divitiis, alius in voluptatibus, alius in honoribus, alius in principum gratia, alius in scientia, alius denique in virtute eam esse putantes; avidissime ista omnia terra marique conquirunt, felices se futuros, si eam consecuti fuerint, arbitrantes.

Nos tamen, ut alibi (a) copiosius disputabimus, eos omnes, qui felicitatem in hac

*Tom. III.*

(a) In Sermone omnium Sanctorum.

vita posuerunt, apertissima ratione deceptos fuisse affirmare non dubitamus. Tot enim nos in ea incommoda undique circumcedent, tot corporis morbi, tot animorum ægitudines, tot insperati & acerbi casus, tot aliorum hominum injuriaæ atque contumeliae, tot dæmonum infestations, ut impossibile sit, in hac adeo ærumnosa & calamitosa vita ad eum statum pervenire quemquam, in quo nulla afficiatur molestia, nulla pungatur cura, nihilque aliud prorsus desideret, quam quod habet. Quod si quisquam eo tandem pervenerit, ut bonorum omnium compos nulla sollicitudine aut molestia tangatur, quod nemini haec tenus inter mortales contigit; mortis tamen metu, quæ omnem felicitatem abolitura sit, carete non poterit: arque hoc nomine felix jam & beatus non erit.

Nos igitur, fidei lumine erudi, hominis felicitatem atque ultimum finem in futura vita, hoc est, in immensa divina pulchritudinis contemplatione, amore & fruitione, collocamus. Naturæ siquidem ultima perfecio est, eo, unde primum effluxit, conveniens &

G

apta

apta conversio. Quum igitur eo redierimus, unde profluximus, tum demum beati erimus. A quo enim esse accepimus, ab eodem bene & beate esse percipiems. Quis enim alius commodius absolutionem & consummationem operi præstabit, quam qui illud omnipotenti virtute cœpit? Is igitur solus nos felices & beatos efficiet, is omnium desideriorum nostrorum sitim famemque sedabit. Quod intelligens propheta: (a) *satiabor*, inquit, *quum apparuerit gloria tua.* Quum igitur summo illo bono, in quo sunt omnia bona, fruemur; tunc votorum omnium compotes effecti, nihil extra summum illud & universale bonum requiremus.

Iter autem ad hanc tantam felicitatem cœlestis magister cum alias frequenter, tum sigillatim adolescenti hac de re percontanti ostendit. Quum is enim ab eo quæsisset, quid sibi factò opus esset, quo ad sempiternam vitam perveniret, ille: (b) *si vis, inquit, ad vitam ingredi, serva mandata.* Hac autem brevi oratione Dominus & illi & nobis aditum ad beatitudinem, quam omnes natura instigante cu-

pimus, patefecit.

Nunc igitur ad vos, fratres. Si maxime necessariam inter omnes scientias eam esse paulo ante diximus, quæ recte vivere doceat; recta autem vita sit, quæ omnes vitæ actiones ad extremum omnium expendorum convenienter dirigat: consequens est, ut ille reatissime vivat, qui Dei mandata servat, quibus ad hunc finem pervenitur. Quisquis autem veritatem hanc intimis animi sensibus infixit, omniaque alia quæcumque sunt in vita, sive opes, sive regna, sive imperia, tamquam aliena & peregrina, & nihil ad se, hoc est, ad hunc finem pertinentia, prudenti atque constanti animo despicit, & per hoc iter vitæ graditur; hic sane didicit, quo pacto vivere debat; hic præstantissimam illam scientiam, quam diximus, adeptus erit. Hæc igitur ad fidèles omnes in communī dicta sint.

### §. I.

Sunt tamen alií, quamvis admodum pauci, qui, non contenti diuturna hac futuræ beatitudinis exspectatione, obnixe dant operam, ut in hac etiam vita incipient esse beati.

Quum

(a) *Psalm. 16. 15.* (b) *Math. 19. 17.*

Quum enim duplex sit beatitudo; altera perfecta, quæ in futura vita speratur; altera inchoata, quæ in hac vita possideatur: isti dant operam, ut in hac etiam vita esse incipiant, quod futuri sunt, & si non perfecta, inchoata tamen beatitudine fruantur. Hanc autem philosophi in sapientiæ officio positam esse definiunt. Ajunt enim, hominis beatitudinem in actione aliqua ita consistere, ut citra illam nemo possit esse beatus. Quo nomine felicium & infelicium vitam somni tempore parem esse ajunt: propterea quod somnus omnes rationalis creaturæ prævidas actiones suspensas atque impeditas habeat, ac tum maxime vegetandi vis, quæ cum plantis homini communis est, officio suo fungatur. Quum ergo felicitatem in actione posserent, intellexerunt utique, actionem illam, cuius exercitatio ultimam hominis perfectionem continet, præstantissimam esse debere. Nulla vero actio præstantior est, quam quæ a præstantissima hominis vi atque potentia oritur. Hanc autem constat esse intellectum. Sed quum variæ atque multiplices intellectus actiones sint, excellentissima ea est, quæ cir-

ca nobilissimum objectum, hoc est, quæ in nobilissima re contemplanda versatur. Quum vero nihil majus aut melius in tota hac rerum universitate, quam ejusdem universitatis conditor, sit; efficitur plane, ut in studiosa immensa pulchritudinis ejus contemplatione summa hominis perfectio, ultimus finis & beatitudo sit posita. Rerum enim conditor & moderator Deus sic rerum naturam instituit, ut unicuique quietis & tranquilitatis locum designaret, isque & ponderosis corporibus infinita loca, & levibus supra, in quibus quiescerent, accommodavit: idemque rationali creaturæ suum locum, suumque veluti centrum non alibi quam in se ipso collocavit.

In hac igitur contemplatione, quæ a summa illa atque altissima sapientia proficiscitur, summi philosophi hominis felicitatem atque ultimum finem esse definierunt. Alia tamen christianorum, alia philosophorum sapientia est. Hæc enim solis humanis viribus adquiritur: nostra autem divinæ gratiæ ope atque cœlesti magisterio comparatur. Sapientia autem nomine divini numinis cognitionem, non quidem nu-